UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

Parisiis, 1644

XXV. De presbyteris aut diaconibus, qui post ordinationem denotantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15324

Visual Library

ri quod poſſit docere, quo multo tempore baptiſmum poſſit probare: vt bene probatus veniat ad clerum, ſecundum præceptum Apoſtoli dicentis: *Non neophytum; ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat & laqueum diaboli.* Si ſuccedenti tempore in aliquo graui peccato a duobus vel tribus teſtibus fuerit conuictus, depoſitus de gradu ſuo ceſſet a clero. Si quis contra hanc regulam facere præſumpſerit, quaſi contrarius magni Concilii, proiiciatur a clero.

1. Tim. 6.

XXIII.

Pœnitens tantum, ſi neceſſitas aut vſus exegerit, inter oſtiarios prius deputetur, vel inter lectores; ita vt euangelia vel epiſtolam non legat. Si qui autem ante ordinati ſunt, inter ſubdiaconos habeantur: ita vt manum non imponant, aut ſacra non contingant. Ex pœnitente enim dicimus, ideo quod poſt baptiſmum pro homicidio, aut pro diuerſis criminibus, aut grauiſſimis peccatis, publicam pœnitentiam gerens, diuino fuerit reconciliatus altario.

XXIV.

Diſt. 25. c. Si quis preſbyter.

Si quis presbyter aut diaconus ſine aliqua examinatione ordinati ſunt, aut certe cum diſcuterentur, criminoſa peccata ſua * celauerunt, & poſt ordinationem ab aliis ſunt detecti; abiiciantur a clero. Similiter & de vniuerſo ordine cleri ſeruetur. Nam hoc ſibi, quod irreprehenſibile eſt, ſancta & catholica defendit eccleſia.

* confeſſi ſunt, *alias legebatur* confeſſi non ſunt.

XXV.

16. qu. 1. c. Si quis preſbyter. & Neocæſar.

Si quis presbyter ante ordinationem peccauerit, & poſt ordinationem confeſſus fuerit, qui antea

tea errauit, non offerat; ſed tantum pro religione nomen presbyteri portet. *Similiter & de diaconibus ſeruandum eſt, vt ſi ipſe confeſſus fuerit, ordinem ſubdiaconatus accipiat.

Can. 9. & 10. Burch. lib. 2. c. 48. Iuo p. 6. c. 149.

* *In alia editione hæc inſerta ſunt.* Sin auté non ipſe cõfeſſus, ſed ab alio publice fuerit cõuictus, nec hoc ipſum habeat, vt nomen presbyteri portet. Similiter, *&c.*

XXVI.

Si quis viduam aut ab alio dimiſſam duxerit, non admittatur ad clerum; aut ſi obrepſerit, reiiciatur: ſimiliter ſi homicidii, aut facto, aut præcepto, aut conſilio, aut † aſſenſione poſt baptiſmum conſcius fuerit, & per aliquam ſubreptionem ad clericatum venerit, deiiciatur, & in finem vitæ ſuæ communionem non recipiat.

† defenſione eſt apud Gratianum: verum Gregoriana nota videtur probare hãc lectionem, & Conciliũ Tribur. c. 11. Hieronym. epiſt. 128. ad Fabiolam, ſic interpretatur viduã eiectam & meretricẽ: Vidua, inquit, eſt, cuius maritus eſt mortuus; eiecta eſt, quæ a marito viuente proiicitur; meretrix, quæ multorum libidini patet.

XXVII.

Si quis presbyter aut diaconus fuerit fornicatus aut mœchatus, proiiciatur, & agat pœnitentiam.

XXVIII.

Si alicuius laici vxor in adulterio fuerit deprehenſa, hic talis ad miniſterium eccleſiaſticum nullo modo adducatur. Si autem poſt ordinationem, alicuius clerici vxor adultera fuerit, dimittat eam: ſi autem cum ipſa voluerit permanere, a miniſterio alienus ſit.

Diſt. 34. cap. Si laici. & dicitur, ex Concilio Martini papæ.

XXIX.

Si qua vidua epiſcopi vel presbyteri aut diaconi maritum acceperit, nullus clericus, nulla * religioſa cum ea conuiuium ſumat, nunquam communicet; morienti * tantum ei ſacramenta ſubueniant.

Diſt. 28. Si qua vidua. ex Concilio Tolet. I. cap. 18.

* religioſa perſona

* tamen

XXX.

Si deuota fuerit, & maritum duxerit; ſi eam pater vel mater in affectum receperint, a communio-